

CHRISTIANI CHEMNITII,  
SS. Theol. D. ac Prof. Publ. b.m.  
COMMENTARIUS  
in  
EPISTOLAS  
PAULINAS.  
JOHANNES ERNESTVS GER-  
HARDUS, SS. TH. D. ET P. P.  
*recensuit ac publicae lucis  
commisit:*  
Eodem Praefide  
M. JOHANNES Rüchterlein,  
Schvartzburgicus.  
Expos. Capp. XIII. XIV. XV. XVI.  
ep. ad Rom.  
*publicae disquisitioni submisit*  
in Auditorio Theologico  
*ad d. 15. Martii*

Imprimebat JOH. JACOBUS BAUHOFERUS,  
oll. diss. A. ab Ic LXVII.

VIRIS  
REVERENDIS, HUMANISSIMIS ET ORNA-  
TISSIMIS  
DN. GEORGIO Haucfen/  
Ecclesiæ VVeisbacensis SUBSTITUTO Fidelissimo  
& dignissimo  
DN. GEORGIO STOLZIO,  
PASTOR IDölsterensis & Breitenhertensis  
Ecclesiæ Vigilantisimo,  
DN. CHRISTIANO Rödern/  
N.P.C. atq; Redituum Præfecto in Ulstadt  
longe Integerrimo meritissimoq;

DOMINIS suis



COGNATO DULCISSIMO  
POPULARI AMANTISSIMO  
FAUTORI COLENDISSIMO

*In tessera Observantia perpetua, & Amoris  
nunquam intermorituri*

Exercitium hocce Theologicum

D. D. C.

EARUNDEM REVERENDARUM ET HUMANISSIMARUM  
DIGNITATUM

*Officiosissimus Cultor*  
M. JOHANNES Müchterlein/S.S.Th. Sc.

## CAPUT XIII.

I.

## Summa &amp; Dispositio.

**P**ostquam Apostolus præcedenti capite tractationem de bonis Operibus, & officiis Christianorum exorsus esset, eam hoc præsenti capite pertexit, & ab ordine Ecclesiastico, & distinctis in eo donorum ac officiorum gradibus, nec non communibus Christianorum virtutibus & officiis, transit ad ordinem Politicum, & subjungit repetitionem de præcepto charitatis, ac commone factiōnē de fugiēndis peccatis. adeoque exponit, quid Magistratui, quid proximo, & quid nobis ipsis debeamus? Secundūm Balduinū ergo capitīs partes sunt duæ: Prima agit de officiis Christianorum erga Magistratum; Secunda continet officia erga proximum, & nos ipsos. Nos autem majoris perspicuitatis causā Caput hoc cum Hunnio, Rungio & VVeinrichio in tres dispescemus particulas. In primā de officiis erga Magistratum agitur; In Secundā præceptum de charitate repetitur. In Tertiā continetur commendatio sancte vite, & prohibentur flagitia.

II.

## TEXTUS EXPOSITIO.

Prima itaque Pars à v. i. incipit, & definit cum v. 7. Et quidem v. i. continetur Præceptum generale, de obedientiā Magistrati præstanta. *Omnis anima, inquit, potestatis supereminētibus subdita sit.* Per animam intelligitur Synecdochicē Homo; & quidem, ut rectè observat in h. l. Mylius, emphatica est hæc Synecdoche; quia vult Apostolus, ut quicquid Spiritum humanum trahat, Magistratui obediatur. Ponuntur autem *ɛξοικιαι*, sive *Potestates*, in abstracto, ut distinguatur inter officium, & inter personam. Officium enim semper in lese bonum est; sed in personis, quæ officium gerunt, multa concurrere possunt vitiosa. Quamobrem autem

Apo-

Apostolus h̄ic tām solicite inculcat obedientiam Magistratui præstandam, consideratione dignum est. Et quidem verisimiliter colligit Estius, hoc factum fuisse i. propter Judæos: quorum innata proclivitas fuit, rebellare Romanis, & libertatem affectare. Johann. g. v. 33. Sicut quoque Josephus & Svetonius testantur.

2. Propter Apostolos. *Quoniam enim*, ut Hieronymus scribit in comment. Epistolæ ad Titum, *Jude Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos sectatores; & Christus ac Apostoli pterique Galilæi fuerunt: ideo, ut non male judicavit quoque Baronius,* in suis Annalibus, sub finem anni primi, necessarium fuit, suspicionem illius sectæ, quæ Galilæorum vocabatur, contrariis præceptis à se dimovere. 2. Certissima causa autem est, quæ indigitatur v. 5. quia quivis homo, & in primis quivis Christianus per conscientiam, ad hoc officium Magistratui præstandum est obligatus. Post hanc Propositionem sequuntur Rationes. 1. Prima desumpta est à Magistratus Auctore: quia Omnis potestas est à Deo, v. 1. & quidem hæc ratio per geminationem effertur; *Non est potestas nisi à Deo, que vero sunt potestates, à Deo ordinatae sunt.* Ad quæ verba Græci commentatores rectè annotant; dici, *Potestates esse à Deo.* Nam Thomas apud Estium in h. l. rectissime distinguit Potestatem ipsam, modum adipiscendi potestatem, & usum potestatis. Per quam distinctionem explicari potest illud, quando Dominus de Principibus populi sui dixit, Hos. 8. v. 4. *Ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognoviceos.* Loquitur de modo adipisci, & de malo potestatis usu. Et hæc est prima Ratio, desumpta ab honesto. Secunda petita est ab inhonesto, v. 2. Qui Magistratui resistit, resistit Dei ordinationi, Deo autem & ejus ordinationi resistere, impiū est, & homine Christiano indignum. Tertia petita est à Periculolo; *Qui resistit, accipiet judicium, tum à Deo ipso, hujus ordinis auctore, tum à Magistratu.* Resistunt autem potestati, qui obedire nolunt legi sive edicto, quod à potestate procedit, uti responde exponunt Hunnius & Estius, v. 2. Hanc rationem autem confirmat per descriptionem officii Magistratus; & ita simul objectionem diluit, quā dici potuisset; Magistratus terrori est. E. non est reverenter habendus. Dicit ergo: *Quia Magistratus est.* 1. Terror

me

1. *Terror malorum*, quos coercet & punit. 2. *est tutor bonorum*, quos sovet, protegit, & defendit, v. 3. 3. *Minister est Dei*, & *executor divinæ sententiae*, adeoque ulti ad iram: nec frustra gladium portat, v. 4. sed est quasi manus Dei, bonos defendens, malos puniens, & propterea bonis nullatenus extimescendus. Dicitur autem id frustra, quod non habet usum. Magistratus ergo gladium gestat, ut eo utatur, eumque stringat in malefactores. Ratio Quartæ desumpta est à Necessario. Oportet esse subditos; 1. *ad vitandum iram*, sive pœnam. 2. *propter conscientiam*, quâ ad obedientiam obligantur, v. 5. & si repugnarent, læderetur ista. Quinta Ratio petita est à signo: Ipsa solutione vectigalium, veluti signo quodam testificamini, vos Magistrati obedientiam debere. Sunt enim ministri Dei; hoc ipsum, quod modò dictum est, officium administrantes, & in id incumbentes, v. 6. Et in compensationem pro hisce tam gravibus curis & laboribus, vectigal penditis. Qua occasione ad promptam solutionem vectigaliumhortatur, v. 7. eorumque, quæ Magistrati debentur: per ἄρχοντα intelligens id, quod datur pro regione seu prædiis; per τέλος, quod darur pro mercibus; per timorem, reverentiam seu metum majestatis. Sic igitur ἀρειαὶ Magistrati sunt solvenda. Et hæc est Pars Prima.

In II. Parte repetitur præceptum de charitate. Postquam enim dixerat v. 7. reddendas esse omnibus τὰς ὁφειλὰς, sive debitā: unum nunc superesse debitum agnoscit & ostendit, quod nunquam plenè dissolvi poscit, nimirum debitum charitatis mutuæ, quam omni tempore Lex requirat. Distinguit ergo charitatem, tanquam debitum naturale & commune, à debito civili & singulari, sive momentaneo & temporario, quod quando semel solutum est, non amplius exigitur. Dilectio autem est juris Naturæ, & propterea hæremus in obligatione perpetuâ, ut proximum nostrum diligamus: Subjungitur Ratio admodum prægnans: quia qui proximum diligit, Legem implevit; nempe Legem secundæ tabulae. Quod monstrat Apostolus, 1. enumeratione præceptorum, v. 9. 2. remotione contrariorum: Dilectio proximo malum non operatur, v. 10.

In III. Parte, sanctitas vita commendatur, & prohibentur flagitia. Vita sanctimoniam præcipit sequentibus Regulis: 1. *Surgite à somno*; id est à desideriis carnis, v. 11. 2. *Induite arma lucis*, v. 12. Per *arma lucis* intelliguntur bona opera, sive Opera pietatis, quæ opponuntur Operibus tenebrarum: quia originem habent à luce mundi Christo, *Johann. 3. v. 19.* sunt in luce, *ibid. v. 21.* & fidem coram mundo faciunt lucidam, *Matth. 6. vers. 16.* Et qui ea faciunt, fulgebunt ut sol in regno Patris sui, *Matth. 13. vers. 43.* *Arma* verò vocantur; quia defendunt hominem contra insultus Satanæ, qui dum in bono occupatos deprehendit homines, cedere cogitur: & quia bona agendo contra Satanam in hac vita militiā pugnamus. Unde & arma hæc jubemur induere. 3. Compositè, εὐχαριστίας ambulate, tanquam in die. Hoc est, vita ac morum honestatem sanctificare. Sicuti enim die appropinquante homines solent se honestè induere; & in diurnâ proambulatione, ut p. 263, loquitur Weintichius, accuratè cavere, ne quid in ipsis appareat, quod deformè sit: Sic idem in suâ vitâ observare debent Christiani, ut ambulent compositè. 4. *Induamini Dominum Iesum Christum*, imitatione vita ejus, vers. 14. Nam u: i scripsit B. Lutherus, comm. in cap. III. Epistolæ ad Galatas, Tom. IV. Lat. p. 113. *Induere Christum* dupliciter intelligitur: Legaliter & Evangelicè. Legaliter, hoc in loco: *Induamini Dominum Iesum Christum*, hoc est, imitandi exemplum & virtutes Christi, *I. Petr. 2. v. 21.* Evangelicè autem, *Galat. 3. v. 26. 27.* 5. *Abjicite Operas tenebrarum*, hoc est, peccata & flagitia contra conscientiam, v. 12. Quæ vocantur opera tenebrarum, quia sunt à Spiritu tenebrarum; perpetrantur in tenebris, *Joh. 3. v. 20.* & ex tenebris ignorantia proveniant, *Ephes. 5. v. 18.* & præcipitant in caliginem tenebrarum, *2. Petr. 2. vers. 17.* Qualia opera sunt, quæ v. 13. enumerantur. 6. *Corporis cura* non est habenda ad lasciviam, v. 14. Curam ejusdem igitur concedit, sed moderatam & necessariam, ne frenum laxetur cupiditatibus & peccatis. Adduntur autem simul rationes, propter quas præceptis hisce patendum sit. Videlicet 1. quia istud requirat conditio temporis, in quo vivant, nempe in tempore Christianismi & conversionis sua, 2. quia id sciant, 3. quia salus sit prior.

4. quia

4. quia nox progressa sit: uti in Quæstionibus videbi-  
mus.

## III.

## QUÆSTIONES.

## I.

## An Personæ Ecclesiasticæ à pote.

state Magistratus sint exemptæ?

**D**icit enim Apostolus: *Omnis anima potestatibus supereminentiis bus subdita sit.* Quam notam universalem additam Chrysostomus in ordines hominum spargit, dum inquit: *Etiam Sacerdos, etiam Propheta atque Monachus, immo vero etiam Apostolus.* Hinc nostra sententia est, quod non sint exemptæ, uti latissimè hoc deducum legi potest apud Gerhardum, Tom. VI. de Magistratu Politico, §. 440. & seqq. Ubi ostenditur, quod personæ Ecclesiasticæ Magistratui sint subjecti: I. quatenus sunt membra Republicæ, non autem quoad doctrinam & Sacramentorum usum: quia quoad hæc dependent à Verbo Dei, & Magistratus sunt oves illarum. II. Quoad delicta societatem civilem turbantia, sive sint capitalia, sive non: non autem quoad delicta officii, sive Ecclesiastica, quia horum respectu non ad solum Magistratum, sed ad totam Ecclesiam, vel Senatum Ecclesiasticum pertinent. III. Subjecti sunt non cuivis Magistratui; sed summo, post eum & iis quos istis præfecit Summus Magistratus. Sicuti in nostris Ecclesiis sunt sub Consistorio & Superintendente suo. IV. Sunt sub Magistratu inferiori quoad actiones reales, non personales. Videnda Constit. Augusti p. 106. V. Sic etiam onera realia ipsis imponi possunt: Personalia non. Realia nempe ferenda non propter bona Ecclesiastica, nisi consuetudo aliud requirat, sed propter propria. Et ita utrumque malum præcavimus, immoderatam libertatem, & immoderatam servitutem. Contrarium autem & quæstionis affirmativam defendunt Pontificii, uti cit. l. apud Gerhardum pluribus videri potest, Unde & Estius Universalem Pauli assertionem,

dicit esse distributionem accommodam; & eam limitat, dicens: *Præcipit Paulus, ut omnes fideles principibus ac Magistratibus, sub quibus constituti sunt, pareant in iis, quæ ad illorum potestatem pertinent.* Ac mox subdit: *Justa ratione placuit, ut ipsa Ecclesia in iis, qui praesunt, ab illorum, ut filiorum suorum, potestate eximeretur.* *Quo fit ne Ecclesiarum præfecti jam sub illis non sint constituti; nec proinde ad eos Apostolicum hoc præceptum pertineat.* Ac conficitur: *Paulum hic loquitur de potestate seculari; idem tamen planè de potestate Ecclesiastica sentendum esse.* Sed omnia hæc petunt principium, & universalitate Paulini effati repugnant, uti Gerb. p. 441. demonstrat.

## QUÆSTIO II.

### An præceptum de Dilectione proximi in hac vita possit impleri?

**N**am v. 8. jubemur proximum diligere, & additur: *Qui diligit alterum, Legem implevit.* Et v. 10. subditur: *Consummatio itaque Legis est Dilectio.* Paria leguntur Luc. 10. v. 27. Galat. 5. v. 14. & alibi. Hinc Becanus in Manuali Lib. 1. cap. 17. quæst. 3. disputat, & facile demonstrari posse judicat: *cotam legem servari posse ab homine justo.* Et Estius ad v. 10. scribit: *Porro discimus ex hoc loco, legem Dei in hac vitâ à nobis impleri posse; quod negant heretici; cum utique negare non possint, multos esse, qui proximum diligent.* Ex quo secundum Apostolum evidens & certa consequentia est, eos legem implere. Hinc argumentum: *Qui diligunt proximum, Legem impletunt.* 8. Omnes veri Christiani diligunt proximum, 1. Joh. 4. v. 20. E. Sed respondemus 1. Ipsem Estius ad v. 8. scribit: *Porro legem implere, & perficere is dicitur, qui totam legem opere præstat: adeo ut ne unum quidem legis præceptum transgrediatur.* *Qui enim offendit in uno, factus est omnium reus.* Jacob. 2. It. ad v. 10. Plenitudo, πλήρωμα est totalis observatio. Et ita merito negamus, quenquam unquam fuisse, qui proximum ita dilexerit, nec etiam id unquam Pontificii demonstrare potueront. 2. Distinguimus ergo cum Balduino part. 2. q. 1. inter *Impletionem legalem*, quæ perfectam obedientiam requirit; Et *Evangelicam*, quâ nobis imputatur perfecta obedientia Christi; & inchoata dilectione, proximum diligimus, in quantum renovati sumus. Illa

est

est in hac vitâ impossibilis: Hanc autem ex gratiâ Dei habent omnes veri Christiani. Unde elegantissimè ad v.7. annotat Hunnius: *Qui diligit alterum, legem explevit, non quidem in ea perfectione, quâlata est lex, sed pro hujus vîce modulo: Ubi Deus propter obedientiam filii sui, nostram quoque, licet inchoatam, seriam tamen, & à filiis profectam obedientiam, paterno favore acceptat, tegens defectum & imperfectionem obsequiorum nostrorum merito perfectissima obedientia Christi.*

### QUÆSTIO III.

**Quo sensu nobis salus nunc dicatur proprior,  
& nox progressa? v.12.**

Per σωτηρίαν Hunnius & Balduinus intelligunt Salvatorem mundi, Christum; & dicunt; institui hic collationem inter tempus veteris & novi Testamenti. Ita ut juxta nonnullos etiam nox denotet umbram Veteris Testamenti. Et ita sentiunt quoque Eразmus apud Estium, V Veinrichius, Rungius, & alii. Et juxta hanc sententiam verbum *Credebamus* referendum est ad tempora Veteris Testamenti, in quibus credebatur in Salvatorem futurum. Sicut etiam Mylius dicit; conferri hic tempus prateritum & praesens. Et quidem prateriti temporis miseriā exponi, dum i. vocetur tempus noctis, respectu Judæorum propter umbras; respectu gentilium, propter illorum tenebras. Ephes. 4. v.18. cap. 2. v.12. 2. Tempus, in quo salus credita; nondum exhibita. Quâ ratione hæc vox credere, aut pro imaginariâ opinione gentilium καταχρεώς accipitur, aut de solis Judæis est intelligenda. Eadem ratio est contrâ de Die. Estius autem σωτηρίαν aliter explicat: Salus, inquit, futuræ glorie, quam expectamus, nunc vicinior nobis est, postquam in fide Christi magna pars vîce nobis peracta est: quâm tunc erat, quando primum credere cepimus, quando baptizati sumus, & per Baptismum numero fidelium aggregati. Quocirca tanto majori nunc opus vigilantiâ, quanto magis tempus, quo salutem expectamus, appropinquare novimus. Sed nos amplectimur sententiam Priorem. Alias enim sententia hæc scripta fuisset tantum iis, qui per aliquot annos fuissent credentes.

## IV.

## OBSERVATIONES.

I. Ex verbis Apostoli *Magistratus* describi potest, quod sit persona à Deo ordinata, habens jus gladii, quo pios quidem, & quod rectum est facientes protegat, maleverò agentes puniat, & vitæ humanæ societatem ita gubernet, ut placidam & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate. Magistratui itaque nequaquam est resistendum aut rebellandum, I. Petr. 2. v. 13. & seqq.

II. Paulus I. Cor. 6. v. 3. reprehendit Corinthios, *sub infideli Magistratulitigantes*: non ut officiū Magistrat⁹ tolleret; sed ut malam Corinthiorum indolem corrigeret, qui litigiosi erant, & ad mutuas injurias levi de causâ proclives. 2. Obres aniles & frivo-  
las, aut saltē compositu faciles ad litigandi rationem coram Magistratu descendebant. 3. Et ita religionem Christianam pro-  
stitebant, & gentilium ludibrio exponebant.

III. si *Magistratus* sit *tyrannicus*: I. non licet resistere merè subditis, nisi conscientia aliud requirat. Quamvis enim quoad modum acquisitionis aut potestatis usum, *tyrannicus* sit: tamen in quantum est *ordinatio Dei*, ei est obediendum. II. Concessa est ta-  
men *defensio*, in casu extremæ necessitatis, aliis mediis deficientibus. Si enim *Magistratus* instar latronis in vi am & salutem subditorum furat, tum concessa est *resistentia* & *defensio*, vel per su-  
periorem, vel inferiorem *Magistratum*. III. In iisquæ primam tabulam concernunt, non quidem est resistendum, sed vis tole-  
randa, nullo modo obtemperandum est, Act. 5. v. 29.

IV. Inferiores *Magistratus* possunt resistere superiori, si *tyrannus* fiat modò id semper fiat juxta Leges, cum moderatione inculpatæ tutæ, ac ut omnia prius tententur; ne videantur rebellare aut privata querere. Debent enim & ipsi contravim injustam, subditorum vitam & bona defendere. Vide Bald. part. I.  
quæst. 3.

V. Ditum ac barbarum est, cadavera defunctorum effodere & cremare: quoniam omnis anima debet esse subdita, id est quamdiu anima est in homine, imperium *Magistratus* durat.

Post

Post mortem autem imperium istud, in mortuis & sepultis hominibus cessat. Confer. Luc. 12. v. 4.

VI. Concessum est etiam Magistratui, legitima Bella gerere, quoniam ea pertinent ad subditorum defensionem, Levit. 6. vers. 17. Jerem. 47. v. 6.

VII. Leges civiles, si justæ sint, obligant conscientiam, vers. 5. E. contra Dei ordinationem & contra conscientiam peccant, qui Leges Magistratus flocci pendunt, ac transgrediuntur.

VIII. De Præcepto Dilectionis, quod v. 8. inculcat Apostolus, & quod multoties repetit Johannes Apostolus, notanda Historia Hieronymi, quam in comment. Epist. ad Galat. cap. 6. habet. Cum Johannes etate jam decrepitus, inquit, non posset longiorem ad discipulos facere sermonem, hoc tantum per singulas collectas dicebat: Filioli, diligite alterum. Quâ de re monitus à discipulis, tædio affectis, quod semper eadem audirent, & rogantibus, quare semper hoc loqueretur: respondit; sententiam se dignam: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.

IX. Pulchre cum v. 11. & 12. convenit adhortatio similis; 1. Thessal. 5. v. 4. 5. 6. 7. 8. & 2. Petr. 2. v. 9. Ubi ex versu 8. etiam deprehendi potest; non esse malam interpretationem V Veintrichii, qui per arma lucis intelligit ista arma spiritualia, de quibus ibid. & Ephes. 6. agit Paulus.

X. Cuticulam nimis curare, est Satanae & gravissimis sceleribus viam parare. Omnis iniquitatis initium est corpus effrene, molle, delitiis deditum, ebrium & ultra modum saturatum. Nam caro concupiscit adversus Spiritum, Galat. V. v. 17. Et carnales concupiscentiæ militant adversus animam, ut ex divitis epulonis, Luc. 16, exemplo patet.

6(0)6

CA.

## CAPUT XIV.

I.

## Summa &amp; Dispositio.

**I**n hoc capite agit Apostolus de recto usu regum Adiaphorarum, & recto usu quoque Libertatis Christianæ. Quoniam enim in Ecclesiâ Romana, quidam erant gentiles, quidam vero Judæi, aut saltē ceremoniis illorum assyveti: Ideò diligenter præcipit, quomoda uti debeant Liberate Christianâ & rebus Adiaphoris, ne alter alteri noceat aut scandalum præbeat, aut etiam in se ipsum peccet. Nam conversi gentiles liberè utebantur cibis, Lege Mosaicâ alias prohibitis; Judæi autem, & alii qui erant moribus illorum assyveti, à talibus abstinebant. Hinc utrinque scandalum præcavere voluit Paulus. Atque hæc constans est Mylii, Runii, V Veinrichii, Hunii, Balduini & aliorum sententia: Caput hoc videlicet ad utrosque tam Judæos, quam gentiles pertinere. Esti-  
ustamen ad v. i. scribit: *Hujus capitinis doctrina propriè ad Judeos per-*  
*tinet. Item: Placere non potest, quod expositores quidam Manducantes*  
*hic intelligunt gentiles. Sed fallitur: Quod enim dicit: Dixi, Do-*  
*ctrinam hanc pecniliariter ad Judeos dirigi. Nam ad gentiles extendi non*  
*potest: ut quibus simpliciter non licet observare legalia, ne quidem pro-*  
*ppter infirmos Judeos; planè infirmum est: quoniam 1. contrarium*  
*patet ex Act. 25. v. 29. 2. poterant gentiles infirmum Judæum*  
*scandalizare præpostero esu ciborum Lege prohibitorum. Quo-*  
*niam igitur continuato ordine est capitinis hujus Doctrina, ideo*  
*eam quoque non divellamus; sed mentem Apostoli includemus*  
*certis Regulis.*

II.

## TEXTUS EXPOSITIO.

**P**rima Regula est; Infirmitas in fide est assumendus. v. i. Per in-  
firmum in fide intelligitur, qui nondum satis informatus est in  
doctrina

doctrinâ de Libertate Christiana & usu adiaphororum, qualis est v.g. qui adhuc observat discriminem dierum, v. 5. Talis est assumendus. Id est, ut Disp. XVI. exponit Rungius, non modo non repellendus à societate Ecclesiae sed etiam nobis adjungendus & invitandus: Est enim προσλαμβάνειν non modo sponte venientem excipere, sed etiam non venientem sponte invitare & pellicere, Act. 17. vers. 15. Vel, ut exponit Mylius: *Hunc suscipere vel assumere jubet Apostolus, id est, non tolerare tantum, licet suo more viventem, & in rerum medium usu pro tempore adhuc à nobis discrepantem: verum etiam Spiritus mansuetudinis erudire.* Sive, ut exponit Estius: *Assumite, id est, ad conversationem vobis adjungite, & habete ut fratrem; nec repellite tanquam alienum à Christo, quin potius, ut infirmum, & curâ egentem foveate.* Et additur modus quoque majoris illustrationis causâ: Non ad dijudicationes disceptationum: Id est: non provocate ad certamen disputandi, aut sub praetextu Evangelii cum eo contendite, importunis disceptationibus eundem inquietantes, & perplexis disputationibus de rebus liberis magis magisque perturban tes: sed quam simplicissime cum eo conversantes. Vel, uti exponit Hunnius: *Ne vel dubitationibus implicetur Iesus conscientia, vel prorsus à Christo resiliat.* Piî igitur propter aliquam ignorantiam de his rebus minimè sunt turbandi aut confundendi. Post hanc sequitur alia Regula, quæ continetur v. 4. & 13. & hæc est: *Nemo alterum propter usum libertatis Christianæ, & rerum adiaphorarum judicet aut condemnnet.* Nam aliis vescitur quibusvis; aliis autem oleribus vesciatur, v. 2. Neuter alterum despiciat aut judicet, quia à Deo sunt assunti: *D E U S enim illum assumit in servum & cultorem suum,* & proinde non est ab alio judicandus, ut explicat Estius. *Vel in gremium Ecclesiae suæ,* ut exponit Balduinus, & *societatem,* ut exponit VVeinrichius. Nec enim, quamvis infirmum in hac doctrinâ aspernatus est, uti exponit Hunnius. Qui etiam observat, priorem partem hujus versiculi tertii pertinere ad gentiles: posteriorem ad Judæos. Cui Regulæ subjunguntur rationes. I. Quia non convenit, judicare de alieno famulo. In Græco est οἰκέτης, id est famulus domesticus, v. 4. Stat & cadit Domino suo. Et si vel maximè cadat, potens est Dominus eum erigere, ut vel contra portas inferorum stet immotus. *Judicium igitur tuum temerari-*

merarium est & frustraneum. *Judicare autem, juxta Estium est, condemnare tanquam Legis transgressorem, aut immundo cibo se contaminantem.* II. *Quia unusquisque in sua mente certus esto.* Judicium ergo de talibus rebus non est petendum ab alienâ, & ab hujus aut illius; sed à cuiusque propriâ conscientiâ. Quia enim rerum Adiaphorarum usus, & discriminē ciborum & dierum sunt libera: Ideo unusquisque faciat secundūm suæ conscientiæ certitudinem & confirmationem. Quæ regulatamen ad sola pertinet adiaphora. Vulgata malè reddidit: *Unusquisque in suo sensu abundet.* Unde & hīc simul indicatur ista Regula: *Nihil in rebus Adiaphoris faciendum est dubitante conscientia.* Estius multa hic disputat de verbo *πληροφορεῖν*, & dicit, non plus significare hoc verbum, quām plenitudinem ferre sive adferre. Confitetur tamen postea; probabile esse, hic denotari plenitudinem persuasionis. Et ad v. 14. ex Chrysostomo dicit; *πληροφορηματι, id est, plenitudinem habeo, scilicet persuasionis, plenissimè perswasus sum.* Quod probè notandum est propter Fidem salvificam, quæ *πληροφορία* dicitur. III. Quia uterque, quod facit, facit in Dei gloriam, & gratias agit Deo, certò perswasus, quod in opere suo Deum glorificet, v. 6. IV. Quia hoc requirit vita & mortis nostræ scopus, qui est, in omnibus ad gloriam & voluntatem Dei respicere. Si ergo tota nostra conversatio ad Deum debet dirigi; fierietiam hoc debet in usu Christianæ libertatis. *Nam Dominus vivimus, agnoscentes sanctam ejus voluntatem pro normâ & regulâ vitæ nostræ: Et ei morimur, animas nostras ipsi reddituri, & coram eo in extremo iudicio fistendi.* Additur vers. 9. quomodo Christus Dominum hoc acquisiverit in viventes & mortuos, morte nempe & resurrectione suâ. Et quidem hīc potissimum sermo est de Dominio, quod habet in pio tam demortuos, quām viventes. Est enim Dominus noster, & quidem in genere omnium hominum Dominus, peculiariter tamen credentium. V. Quinta Ratio est: *quia sumus fratres, v. 10.* VI. *Quia in extremo iudicio omnes statuemur apud tribunal Christi, & quisque pro se rationem reddet Deo, v. 10, 11, 12.* Nam omnes homines judicabuntur: *Judicio retributionis, quamvis non omnes judicandi sint iudicio discussio-*nis. Videatur Estius ad v. 10. & Lombardus lib. 4. sent. dist. 47.

Locus

S.A.

Locus ex Es. 45.23. addu&us v. 11. probat universale Dominiū, quod Christus habet in omnes homines tam bonos, quā malos. Pii enim genua flecent cum lētitiā: Impii cum trepidatione, & horibili expectatione ultimæ sententiæ. Nemo ergo alterū judicet, uti A postolus Regulā repetit v. 13. Tertia Regula est: *Nemo fratri ponat scandalum aut offendiculum*, v. 14. Videlicet, ut ex contextu patet, per libertatis Christianæ abusum. Nam 1. nihil quidem in se est commune aut contaminat, v. 14. aliquando tamen ab hoc vel illo cibo abstinentia est propter charitatem, ne frater infirmus scandalizetur, v. 16. Videlicet, ut aut peccet in te temerario iudicio, aut tuo exemplo provocatus contra conscientiam edat, aut ansam accipiat ad apostasiam. 2. quia Christus est pro eo mortuus, v. 15. 3. Ne Bonum nostrum blasphemetur, v. 16. Per Bonum Rungius & Hunnius generaliter intelligunt Doctrinam cœlestem sive Evangelium; Chrysostomus futuram spem præmiorum; Estius autem, Balduinus & alii intelligunt Beneficium libertatis Christianæ. 4. Quia regnum Dei, non consistit in discrimine ciborum, aut rebus adiaphoris, sed in justitia, pace & Gaudio in spiritu Sancto, i. e. fidei & charitatis exercitio. Per Regnum Dei Rungius intelligit summam Christianismi; Mylius Religionem, Hunnius Regnum Dei in hoc seculo inchoatum, & in altero consummandum. Weinrichius Ecclesiam, quatenus Deus in eâ regnet. Estius regnum gratiæ & gloriæ. Ergo in his Deo est serviendum: Adiaphora autem sunt libera, & prudenter usurpanda. Quarta Regula: Quærenda sunt quæ ad pacem & ædificationem proximi faciunt, v. 19. 1. quia malum est, per cibum, rem levem destruere opus Dei. 2. quia omnia quidem sunt pura, sed malum est cum proximi offendiculo edere: Bonum autem, in tali casu ab Esu abstinere, v. 20. 21. 3. quia notitia tua de rebus adiaphoris non debet alteri nocere, v. 22. Tu igitur, qui eam habes, eâ utere, sed sine danno proximi. Quinta Regula est: *Nihil est faciendum dubitante conscientiâ; alias peccatur*, v. 22. Διαπίνεσθαι enim, est disjudicare & disceptare. Sexta & ultima est: *Quicquid ex fide non est, peccatum est*. De quā sententiâ in Quæstionibus videbimus.

### III. QUÆSTIONES.

I.

## Quinam sint isti infirmi in fide, v.i?

**N**on sunt ii, qui multo<sup>res</sup>ies admoniti, nihilominus protervè errores suos, quandoque etiam cum fidei fundamento pugnantes, defendant. Hi enim non assumendi, sed potius vitandi & rejiciendi sunt, Tit. 3. vers. 10. Sed sunt i. qui nondum justam & sufficientem scientiam habent in fide. 2. Et in primis, qui nondum plenam cognitionem habent Christianæ libertatis, & Usūs Adiaphororum. Qui, ut loquitur VVeinrichius, in Christianæ libertatis usu non nibii hæsitant, ita ut animi dubii & anticipates sint, quid salvā pietate & conscientiā facere, quidve omittere debeant? Hinc cùm superiori seculo Zwingiani in fraternitatem recipi vellent, tanquam infirmi in fide, Philippus Melanchthon & Brentius in scripto ad Philippum, Landgravium Hæssia; cur Zwingiani non sint in fraternitatem recipiendi? recte distinxerunt, inter *Infirmos fratres*, qui aliquo errore impliciti sunt, & qui incerta dogmata non conantur defendere: & eos, qui contrarium faciunt. Etenim Divus Paulus, inquit, Galatas in fraternitatem suscepit. De iis autem, qui errores defendebant, dixit: *Utinam & abscedantur, qui vos labefactant*, Galat. V. v. 12. Videatur Hugerus in *Locis Majoribus*, p. 3.

## QUÆSTIO II.

### Quænam sint observanda de rebus Adiaphoris?

**Q**uām Sæpe Ecclesiam turbaverit certamen de Adiaphoris, exemplum Victoris Papæ, Orientales Ecclesias ob aliâ ratione celebratum diem Paschatis, anathemate percutientis;

Item

Item; tempus Interimisticum, & exorcismus ; docere possunt.  
 Quamobrem Observationes nonnullas hic proponemus. I. Adiaphora , antequam in Ecclesiam introducuntur, sunt libera. Sicut liberum fuit, exorcismum adhibere, antequam introductus fuit. Sed quando introducta sunt; induunt naturam necessitatis, & in conscientia obligant, ita ut sine peccato aut scando no[n] possint omitti. II. Quæ igitur introducta sunt, non possunt abrogari, nisi id fiat i. à totâ Ecclesiâ & cum ejusdem consensu. II. Si causæ sufficientes adsint. Videlicet, si id postulet publica Ecclesiæ utilitas, vel respectu ordinis, vel respectu ædificationis proximi: Si fiat absque offendiculo: Et si fiat sine læfione Christianæ libertatis. Jus igitur Adiaphororum est penestotam Ecclesiam, non penes hunc aut illum III. In usu rerum mediârum prudenter & cautè est agendum. Aliter enim tractandi sunt infirmi fratres, qui in religione nobiscum consentiunt, sed usum libertatis Christianæ nondum plenè intellegunt. Alter verò manifesti hostes religionis, quibus in rebus adiaphoris nihil omnino est concedendum. Tentant enim libertatem Christianam, & religionem subversuri, à ceremoniis initium facere solent, uti exemplo suo id saepe probatum dederunt Pontificii & Calviniani. Quibus neque ad horam cedendum est subje  
tione, Galat. 2.v.4. nec cum eis jugum ducendum. 2.Cor. 6.v.14. Nam ve[re] isimè experientia hoc quam optimè edocens scripsit p. 399. Mylius: Cedendo nunquam mitescit, sed semper magis feroceſcit Satanás. Vae autem homini, per quem venit scandalum, Mat. hig. v.17. Et Casus confessionis in hoc ipso agitur. Quamvis igitur obtendatur ab hostibus & à molliculis; aliquid concedendum esse propter bonum pacis, & propter lucrum, quod ex conversione & sanatione multorum sit exspectandum; tamen id bonum exigui temporis est, & lucrum, quod speratur, centies majoribus incommodis præponderatur, nec facienda sunt mala, ut eveniant bona, Rom. 3.v.8. Quamvis etiam dicatur; in questione ceremoniarum de nullo articulo fidei agi? tamen falsum id est. Dum enim causa libertatis Christianæ, dum negotium confessionis edendæ agitur: nihil levius, quam de totidem religionis articulis luditur, & de

totâ religione agitur. Alii autem de dogmatibus ludant : Christianis id non licet, propter fulmina verborum Matthæo. vers. 32. Rom. 10. v. 10. Ps. 116. v. 10. Exod. 10. v. 26. ne ungulam quidam hic relinquemus, sed thesaurum Libertatis Christianæ retinebimus. Sicut nec Daniel clausis fenestris orare ; nec Eleazarus esu suilatum carnium simulare voluit, Dan. 9. v. 10. 2. Maccab. 6. v. 24. Videatur cito exercitatisimus Mylius.

### QUÆSTIO III.

An dictum illud Paulinum v. 23. Quicquid non est ex fide, peccatum est ; agat de fide justificante.

**H**unnius ad v. 22. annotat : Sciendum autem Paulum hic, appellatione fidei non intelligere fidem justificantem ; quæ non occultari, sed ad alios quoque proferri, & exseri debet. Sed fidei vox ad subjectam materiam restringenda est, ut scientiam, sive notitiam libertatis Christianæ designat, hoc sensu : Tu fidem eam habes, quâ scis & credis, discretionem illam ciborum abrogatam esse ; hac fide ne abutare ad scandalum infirmorum ; sed potius ea ad conscientiæ tuae tranquillitatem apud te ipsum fruere, & coram Deo gaudere, quod rectè de his rebus sis institutus. Et Balduinus quæst. V. scribit. Etsi verò locus hic directè loquatur non de fide justificante, sed de persvassione certâ cordis, quod ea, quæ sunt, Deo non sunt ingrata ; valet tamen ratio, &c. Ex quibus apparet, quod hic Aphorismus Apostolicus, directè non loquatur de fide justificante, sed de fide conscientiæ, quâ quis certam cordis persvassionem, adeoque conscientiam præticam ex verbo Dei rectè informatam & confirmatam habet, quod ea, quæ faciat, recta sint & placeant Deo. Patet hoc ex textu : Dicit enim Apostolus : Qui dijudicat, id est, hæsitat & dubitat, an edere liceat, nec ne ? & tamen edit : ille condemnatus est : Ratio est : quoniam non edit ex fide, & certa persvassione conscientiæ, hoc quod facit, ratum esse & Deo placere. Omne autem, quod ex fide non est, peccatum est. Habemus ergo conclusionem probandam. Qui edit hæsitate conscientia, damnatus est : Medium probandi est : quia non edit ex fide, & certâ cordis persvassione

fione. Major propositio autem est: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Unde & meritò huc refertur illud versu 5. Unusquisque in suâ mente certus esto. Agi itaque h̄ic directè non de fide justificante, sed de fide conscientiæ, hoc est, de certâ informatione & persuatione conscientiæ practicæ, aliquid Deo gratum esse, & placere, certum est. Sed sunt aliqua necessario & ad majorem intelligentiam adhuc addenda, quæ observationem diligentissimam merentur. I. Est ergo hic Aphorismus invicta & fortissima machina, quæ omnes ἐθελοδρυσκειας & cultus fictitios prosternit, & uno impetu concutit & proterit. Quia enim nec Dei mandatum, nec Dei promissionem habent; Ideo conscientia non potest certa esse, sed perpetuo cogitur hæsitare, an placeant Deo, nec ne? Dixit enim Dominus; *Quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito; non facito, quod rectum videbitur in oculis tuis,* Deut. 12. v. 8. 32. Hinc Augustana Confessio dicit Abusu 5. *Publica persuasio fuit non tantum vulgi, sed etiam docentium in Ecclesiis, quod discrimina ciborum, & similes traditiones humanae, sint opera utilia ad promerendam gratiam, & satisfactoria pro peccatis.* Et quod sic senserit mundus, appareat ex eo, quia quotidie instituebantur novæ ceremoniæ, novi ordinès, novæ feriæ, nova jejunia, & doctores in templis exigebant hæc opera tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam, & vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hæc persuasione de traditionibus multa incommoda in Ecclesiâ secura sunt. Omnia autem hæc cadunt, si ad pronunciatum Paulinum conferantur. II. Potest omnino hic Aphorismus Paulinus etiam accommodari ad fidem justificantem, & ad bona Christianorum Opera. Nam sicut in Ethicis, apud Aristotelem lib. 2. Ethic. ad Nicom. c. 4. & alibi, tanquam principium actionis humanae, requiritur Scientia, ut aliquid fiat à Sciente: Sic etiam in iis, quæ ex Libertate Christianâ fiunt, requiritur πληροφορία, sive certa & firma persuasio in conscientiâ, ut Christianus certò sciat ex Verbo Dei, id quod agit, rectum esse, nec Deo displicere: Et ut aliquod Opus verè coram Dei judicio bonum sit, requiritur tanquam ejus principium, ut sit profectum ex fide justificante; quæ facit, ut pro-

propter apprehensum meritum Christi imperfæcio ejus tegatur & condonetur. Nam sine fide impossibile est placere Deo : accedentem enim ad Deum oportet credere, Ebr. 11.v.6. Verissimum igitur quoque est pronunciatum Paulinum de fide justificante, & bonis, Deoque placentibus Operibus : Quicquid non est ex fide, peccatum est. Nam ad constitutionem verè boni, & Deo placentis Operis, tanquam principium requiritur, ut proficiatur ex fide. Sicut & Bellarminus ipse, Lib. I. de justif. c. 21. agnoscit, *ante fidem nihil boni fieri posse*. Notetur modò, de fide justificante hoc dictum accipi per accommodationem, ut Baldwinus quoque confitetur. III. Et ex dicto hoc ita accommodato, & altero isto loco, Ebr. 11.v.6. decidi potest quæstio : *An omnia infidelium opera sint peccata, quoniam fiunt sine fide, & speciali auxilio gratiæ?* Nempe, quædam sunt bona ; quatenus sunt *actiones civiles, & morales sive virtutes Ethicæ*, sicuti Paulus dicit, Röm. 2.vers.14. *geates τὴν φύσει τὰ τέρατα τῆς ρώμης fecisse ea, quæ sunt Legis* ; nempe ex parte, non autem extoto. Non autem sunt bona, ut *Bona opera Christianorum*. Ad hæc enim requiritur, ut perfectissimè Legi respondeant : non quidem ex impletione ipsorum, quæ in hac vitâ impossibilis : sed ex impletione Salvatoris nostri Jesu Christi ; propter quam, fide apprehensam, defectus & imperfæcio illorum tegitur & condonatur. Quando ergo Infidelium Opera lib. 4. contra Julianum cap. 3. ab Augustino pro peccatis habentur : & etiam nos, *omnia bona Opera nostra imperfecta esse dicimus aut defectibus contaminata* : consideramus ea in ordine ad judicium Dei. IV. Sunt igitur *Opera hominis vel 1. Naturalia, vel 2. Moralia, vel 3. Christiana sive bona*. Ad hæc ultima, tanquam principium requiritur fides salvifica. Ad Moralia requiritur Reæ ratio. Ad Naturalia concurrit causalitas Naturæ. Eadem tamen mala fieri possunt, tam moraliter, quam Theologicè ; quando incurruunt in prohibitas circumstantias, & conjunctam habent incredulitatem, aut violationem mandati divini. Sicut *esus fructus vetiti*, Genes. 3. v. 6. opus naturale erat ; sed quia contra præceptum divinum siebat ; gravissimum peccatum. Atque hinc etiam est, quod in peccato Materiale bonum sit, & aliquid positivum ; Formale au-

tem

tem malum & privativum. Videatur de operibns Infidelium Examen Concil. Trid. Chemnitii, p. 107. Sess. 6. can. 7.

## IV.

## OBSERVATIONES.

I. **A**postolus jubet, *infirmos in fide assimi*: Et ipse tamen Petrus estitit in factum, Galat. 2. v. 11. 14. Videlicet quia 1. Petrus non amplius erat infirmus, sed cœlesti visione edocitus, & confirmatus, Act. 10. v. 15. Galat. 2. v. 12. 2. quia simulaverat, & scandalum præbuerat. Juste igitur fuit reprehensus.

II. Sub initium p'imi iuæ Eccl. siæ quadam ceremonia libere adhuc fuerunt obseruæ, ut Judaica & gentilis Ecclesia eodemius coalescerent; sicut & Paulus Timotheum circumcidit, Act. 16. v. 3. Sed postea fuerunt abolitæ: unde Titus non fuit circumcisus, Galat. 2. v. 3. Moses enim cum reverentiâ fuit sepelendus, v. 3.

III. *Infirmitas fidei* vel est in articulis fidei; vel in usu Adiaphororum vel in applicatione meriti Christi, qualis est in afflictis & tentatis. Omnibus consulit Verbum Dei, quod solum est attendendum, v. 4. & 5.

IV. Hinc constat, quod verè fideles non semper sint pariter in fide robusti; sed alios esse firmiores: quin unum eundemque nunc quidem in fide fortis, mox vero languidum esse; ac vicissim languidos & infirmos rursum stabiliri & confirmari posse, ut stent. Ut patet exemplo Davidis, Ps. 30. v. 7. & 8. Est enim hæc communis filiorum Dei sors, ut non semper eadem firmitate sint prædicti, ne suis propriis viribus gratia Dei & perseverantia donum ascribant. Vide Hunnium, Loc. comm. 2.

V. *Gradus ergo firmitatis fidei*, sunt beneplaciti divini, non nostri arbitrii: nec fides ex firmitate aut sensu est estimanda, sed ex solo verbo Dei. Hinc nemo perterrefiat, quia sudinet, statu*migrabitur*, verl. 4. & fidelis est Deus, qui neminem fuit tentari ultra vi-

Bb

res.

*res, I. Cor. 10. vers. 13. Hoc fundamentum invictum est in omni tentatione.*

**VI.** *Vivi & mortui peculium Domini sumus, v. 7. 8. acquisiti morte & resurrectione Christi. E. nemo nos rapiet ex manu eius, Joh. 10. v. 21.*

**VII.** *Omnis statuemur ante tribunal Christi, v. 10. In omni igitur actione cogitandum est: quid si jam ad judicium vocareris? Quælibet igitur hora sit nobis hora judicii, quoniam in judicio reddenda erit ratio de omni horâ.*

**VIII.** *Fratrem judicare, est ægritudinem propriam revelare. Nunquam enim eum judicares, nisi animo ægrotares. Cogitandum ergo, quod unusquisque pro se sit Deo rationem redditus, v. 12. 13.*

**IX.** *Nullus cibus naturâ suâ est immundus, v. 14. Errârunt ergo Marcionitæ & Manichæi, qui vinum vocârunt fel principis tenebrarum.*

**X.** *Quicquid ex fide non est, peccatum est. Ergo fides est quasi anima bonorum operum. Et certitudo conscientiæ ad usum Libertatis Christianæ necessaria est. Quæ certitudo ex solo petenda est verbo Dei. Ps 119. v. 105.*

¶(o)¶

CA;

## CAPUT XV.

I.

## Summa &amp; Dispositio.

In hoc capite, iudicio Rungii, V Veinrichii, Balduini & aliorum. continuat Apostolus adhortationem de tolerandis infirmis, & quidem qui tales sint quoad usum rerum adiaphorarum: nec non excusat se ob libertatem scribendi, ac suum adventum promittit. Hinc p. 316. V Veinrichius scribit: *Apostolus continet am sum præcedenti capite inchoatam continuat, & firmoribus inculcat sedulo, ut infirmorum deserviata patienter tolerent. Ac in eadem sententia est quoque Hunnius.* Mylius autem arbitratur, proponi hic exhortationem quandam peculiarem, de tolerandis infirmis atibus fratum. Ac dicit; *in hoc & sequenti capite contineri farraginem quandam earum rerum, quæ à principali Epistolarum materia alienæ, in Epilogos rejici soleant.* Nos itaque cum Rungio & V Veinrichio dividimus caput in Tres Partes. In Prima continetur adhortatio de tolerandis infirmis. In Secunda disserit Apostolus de ratione & scopo sua scriptoris, & libertatem loquendi excusat. In Tertia continentur quædam historicæ, & promittit Apostolus, se Romam, Deo volente, venturum; atque hoc nomine ipsorum pro se fundendas preces exspectat.

II.

## TEXTUS EXPOSITIO.

Propositio Primæ partis est: Firmi debent infirmos portare, nec sibi ipsi placere. v. i. Ad quæ verba, Mylio consentiens, scribit Estius: *Est autem doctrina generalis: ad quam à speciali transitione facit, exhortatus omnes tam Judæos, quam gentiles ad mutuam supportationem, pacem & concordiam.* Unde dici potest: *Doctrinam hanc de mutua supportatione esse quidem generalem;* adduci tamen in majorem confirmationem istius adhortationis, quam cap. præced. Apostolus proposuerat. *Quod enim de adiaphoris valet, valet etiam de reliquis rebus &*

Bb 2

in-

*infirmitatibus.* In Græco est βασάζειν, quæ vox ex suâ proprietate notat, instar sarcinæ alicujus aliquem vel aliquid portare. Et simul ita per hanc vocem indicatur, infirmos quidem molestos esse, non tamen propterea debere repellere aut abjicere, sed quasi defatigatos comites ad metam ducendos & deportandos. Per firmos Weinrichius intelligit illos, qui majori Spiritus robore pollent, & excellentioribus donis prædicti sunt. Hunnius illos, qui in fide fundati, & de omnibus capitibus doctrinæ, ut & de libertatis Christianæ usu edoceti sunt. Sed si hæc admonitio generalis esse debet, per firmos intelligi oportet tam eos, qui firmitatem doctrinæ habent, quam firmitatem fiduciarum; & firmitatem renovationis, sive piæ conversationis. Ita ut hæsitantes possint informare, dubitantes confirmare, lapsos erigere, ac errantes comiter reducere & corriger. Atque hæc est propositio. Cui subjunguntur Rationes. Inter quas I. Petita est à nostrâ Obligatione: *Debemus*, inquit Apostolus. Hinc Cajetanus rectè annotat; *non dici*: *Bene facimus*, imbecillitates infirmorum sustinendo; *sed Debemus id facere*, *ad significandum*. *hoc quod dicit*, *ad debitum fraternalæ charitatis pertinere*. II. Secunda Ratio petita est à Fine donorum, quæ à Deo accepimus, qui est; non placere nobis ipsis, sed proximo in bonum ad ædificationem. Hoc enim consilio divinitus robur præstatut firmioribus, ut sint ad onera Ecclesia ferenda paratores. *Frustra enim donorum suorum Deus & Natura nemini quisquam contulit*, ut scribit Mylius p. 489. Benè quoque ad v. 3. annotat Estius; *Apostolo dicuntur sibi placere, qui acquiescunt in bono suo, non solliciti, ut & aliis benè sit. Proximo ergo placere, est ejus commoda procurare, ac videre, ut & ipsi benè sit*. Unde ne de adulazione, aut carnaliter hæc verba accipientur; additum est: *in bonum ad ædificationem*. III. Tertia Ratio petita est ab exemplo Christi, v. 3. qui quamvis esset optimus & beatissimus; tamen sibi non placuit, sed propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, passus, crucifixus & mortuus est. Ac ita i. omnia propter nostulit. 2. Infirmos quoque suscepit. *Exemplum igitur reliquit nobis, quod imitari debemus*, I. Petr. 2. v. 23. Hanc rationem probat Apostolus i. dicto speciali, ex Ps. 69. v. 9. desumto, 2. Generalia axiomate, ne putare

R. O-

Romani , exemplum hoc esse pecculiare , nec ad se pertinere , quo universæ Scripturæ utilitatem in Ecclesia designat , quod omnia quæcunque scripta sunt , faciant ad nos docendos , consolandos , & in Spe confirmandos . v. 4. IV. Quarta Ratio petita est à commodo , sive causis finalibus mutuæ supportationis . Facit enim 1. ad concordiam . 2. ad Dei honorem & gloriam . Hanc utramque igitur ut querant Romani , piis votis precatur à Deo , quem vocat Deum sapientiæ & consolationis , & spei . v. 13. id est , qui hæc omnia nobis donat , & per Scriptaram Sacram tanquam verbum suum in nobis producit & efficit , ut patientiam , consolationem & spem habeamus : dum dicit ; Ut idem sentiat is invicem , non in re quâvis ; sed secundum Christum Jesum , v. 5. & uno ore glorificet is Deum , ac Patrem Domini nostri Jesu Christi . v. 6. Quæ sanè duæ insignes causæ sunt , mutuæ supportationis . Unde & Propositionem , unâ cum efficacissimo Christi exemplo Apostolus repetit , inquiens v. 7. Quapropter assumite vos invicem , quemadmodum & Christus assumit nos in gloriam Dei . Si ergo ipse nos imbecilles & languidos assumit ad vitam æternam & gloriam Dei : quanto magis nos infirmos & languidos suscipere debemus . V. Quinta Ratio petita est à Paritate : quia omnes ex misericordiâ & misericordiâ , tām Judæi , quām gentiles ad gloriam Dei sunt assumti . Debent ergo similiter se invicem assumere ; sicut Christus illos assumit . Hinc assumptionem Judæorum probat v. 8. Vocans Iesum Christum ministrum circumcisionis pro veritate Dei , ad confirmandas promissiones Patrum . Hoc est : circumcisi populi Judaici , inter quos cursus ministerii sui implevit , faciens miracula & prædicans Evangelium regni . Quorum insignia privilegia quoquere censuerat cap. 6. v. 4. & 5. Deinde eandem assumptionem in consortium regni probat de Gentilibus , eamque aliquot manifestis dictis Scripturæ confirmat , v. 9. 10. 11. & 12. Quoniam ergo Christus æqualiter & Judæos & Gentiles consortio regni sui dignatur ; ideo & vos debet is vos invicem assumere . Ac ut hoc fiat , de novo fortissimum votum subiungit v. 13. Apostolus , eoque adhortationem suam & Primam Partem Capitis concludit . Et quidem

precatur ipsis 1. concordiam mutuam, sive consensum in doctrinā fidei. 2. Verum gaudium & tranquillitatem conscientiæ perpetuam. 3. Abundantiam Spei, seu incrementum fiduciæ, quam habemus in Christo. Quæ eis concedere velit Deus Spei, per potentiam Spiritus Sancti.

In II. Parte exponit Apostolus scopum & rationem suæ scriptiorum, ac simul libertatem loquendi excusat, ac ita benevolentiam capitat. Et quidem 1. respondet per concessionem tacitæ objectioni. Potuisset enim dici: Romani jam ante de omnibus partibus doctrinæ ratiōnē sunt instituti, & donis Spiritus Sancti præclare instructi, ut se invicem ædificare possint. E. non opus fuit tam prolixâ Pauli Epistolâ. Confitetur Apostolus, hanc non fuisse sibi scribendi causam, quasi hoc suum officium Romanorū vel necesitas, vel inscitia, vel impietas postulasset: Cum de illorum pietate sit perswasissimus. II. Veras eausas scriptiorum suæ exponit. Propositio est, v. 15. *Andacius scripsi vobis fratres 1. quia utile erat, vos derebus jam doctrinā perceptis commonefacere, & intervire vestræ memoriæ, vobisque quasi calcar addere. 2. Quia hoc requirit officium meum Apostolicum, cui satisfaciendum est. Et quia hic necessarium erat, ut personam suam quasi legitimaret; Ideo hac occasione pluribus Apostolatum suum exponit, dum istum dicit 1. se habere secundum gratiam, quæ sibi data fit à Deo, v. 15. 2. consistere in ministerio Iesu Christi inter gentes. In quâ ratione suæ vocationis exponendâ indicat 1. vocantem, qui fuerit Christus Jesus. 2. Officium vocationis, quod fit: Sanctificare Evangelium Dei, i.e. gerere officium prædicandi sanctum Evangelium Dei, ita ut gentes fiant oblatio munda & sanctificata in Spiritu Sancto, v. 16. & 3. officii dignitatem, dum per Jesum Christum posset gloriari de suo officio & de suis operibus; nec quicquam à se ipso faciat. Exponit ergo, quod quicquid in hoc Apostolatu suo faciat, hoc faciat ex dudu, virtute & instinctu divino, ut gentes obediant Evangelio, v. 17. Et quidem dicit, lese instructum esse 1. non solum λόγῳ, sive verbo, hoc est gratia docendi: Sed etiam 2. ἔργῳ, sive facto, hoc est, potestate edendi miracula, signa, i.e. miracula in morbis sanabilibus edita, ut exponit Balduinus:*

Pro-

*Prodigia, i.e. sanationem defectum incurabilem. Quibus 2. Cor. 12. v. 12. addit Virtutes, i.e. imperium in Diabolos. Et hæc miracula se edere dicit per potentiam Spiritus Dei. Ita ut omnia repleverit Evangelio Christi à Jerusalem usque ad Illyricum: & adhuc annitur sedulo, in aliis quoque locis prædicare Evangelium, ubi nondum sit prædicatum, aut ab alio quopiam prædicationis fundatum positum, v. 19. 20. Et ita à se & per Apostolatum suum, dum Evangelium prædicet in iis locis, ubi id nemo ante se prædicaverit impleri istud Esaïæ, cap. 12. v. 15. quod v. 21. adducitur. Est ergo hæc egregia & Apostolatus, & curriculi vitæ Paulini descriptio.*

In III. Parte promittit adventum suum, & preces expetit. Et quidem proposuerat sibi, citius ad eos venire, sed dicit, se isto studio & ministerio suo impeditum fuisse, v. 22. Deinde promittit suum adventum, v. 23. 24. 1. quia in regionibus illis non habeat amplius locum, cum Ecclesiæ plantatæ sint, & bene iis prospectum, ut exponit Hunnius. 2. quia à multis annis desideret eos videre. 3. quia commodum iter speret, ubi in Hispaniam iverit. Ne autem Romani dicerent: Cur non recta ad se proficeretur? exponit, sibi propter eleemosynas jam necessario suscipiendum esse iter versus Hierosolymam. Has ubi ipsis obsignaverit, & sancta fide tradiderit, dicit se per ipsos in Hispaniam iturum, v. 25. 26. 27. & 28. 4. finem quoque adventus sui exponit; se venturum dicit, ut eos plenitude benedictionis Evangelii Christi implete, v. 29. Ac ut divinâ voluntate, cum gaudio ad ipsos venire posset, nec adversitatibus, quas in Judæâ prævidebat sibi occurseras, opprimeretur: Ideo per Christum, & per dilectionem multuam, quam habeant Christiani in Spiritu Sancto, eos orat, ut precibus suis adjuvent, v. 30. Ut liberetur 1. ab incredulis in Judæâ, 2. ministerium ejus circa eleemosynas sanctis acceptum sit, lv. 31. Ut ita per voluntatem Dei, & si ipse voluerit, cum gaudio ad ipsos venire, & cum eis refocillari possit, v. 32. Quæ omnia tandem concludit yoto, & particula Amen. v. 33. dicens: Deus autem Pateris sit cum omnibus vobis. Amen!

## III. QUÆ-

## III

## QUÆSTIONES.

## QUÆSTIO I.

## An Christus passione ac morte

suâ etiam sibi aliquid promeruerit?

**R**atio questionis est; quoniam dicitur v. 3. *Christus non placuit sibi ipse*. Quod quomodo intelligendum sit, in explicatione textus vidimus. Affirmat autem questionem hanc Bellarminus, Libr. V. de Christo, cap. 9. dicens, *Christum operibus ac laboribus suis, non solum nobis omnibus gratiam & gloriam acquisivisse, sed etiam aliquid acquisivisse sibi*. Nempe, ut §. seq. loquitur: *Christum meruisse sibi illa omnia, quæ accepit post passionem suam*. Et quidem provocat ad duo Scripturæ loca, Philipp. 2. v. 9. Hebr. 2. v. 9. In quorum priori habetur diò, in posteriori dia. Sed respondemus: Utique particula, non causam, originem, aut meritum exaltationis sed viam, ordinem atque medium notat. Uticum Balduino quest. 2. dudum Theologi nostri ostenderunt. Nam ita Gerhardus disp. 9. Isagogicâ §. 98. Describitur exaltatio, ut consequens præmium exinanitionis, cum particula, diò à dia t̄t̄, non semper ac ubique notent causam rei meritoriam, sed interdum finalem; sepius autem consequiam & rationationem, qua unum aliquid ex altero concluditur. Nec præmium sed meritum exinanitionis in dicto Apostolico describi, ex locis paralelis manifestum, Luc. 24. v. 26. 1. Petr. 1. v. 21. Videatur Gerhardus citato loco.

## QUÆSTIO II.

Quid propriè sit, sacrificare Evangelium  
Dei, v. 16?

**R**ecetè super hunc locum scripsit Estius: *Sanctificans Evangelium Dei, Id est, administrans Evangelium à Deo missum hominibus, eoque mis-*

ministerio velut sacerdotio fungens. Id enim significat vox Graeca *ἱερέων*, *sacris operans, rem sacram faciens*. Et quamvis postea asselerat, dari etiam sacerdotium propriè dictum nonæ Legis, quod oblationibus quotidianis per totam Ecclesiam exerceatur: tamen hoc gratis asserit, & sine firmo aliquo fundamento. Unanimiter igitur statuunt Mylius, Rungius, VVeinrichius, Balduinus, respectum hic haberi ad Malach. i. vers. 11. Ubi dicitur: *Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblationes mundæ*, dicit Dominus. Ex quo loco colligunt Pontificii: E. *Missa est illud sacrificium, in quo fit purissima oblationis corporis & Sanguinis Christi in cænâ*. Utijam mentem Eius suam exposuit. In hac ergo assertione, cum Pontificii habeant affirmativam, necesse est ut eam probent, quod nunquam potuerunt. Nos interim docendi causâ exponemus quæ sint illa sacrificia, quæ juxta dictum Scripturæ in *Novo Testamento* dantur. Sunt itaque ea I. *Prædicatio sive Administratio Evangelii*, ut ex hoc loco patet. Hoc enim λειτουργία sive sacrificium hic appellatur, quoniam, juxta Hunnum, per eam nomen Dei gentibus innocuit, & virtus unici sacrificii propitiatorii Christi in orbem terrarum sparsa fuit, ut homines fide purificati, Act. 15. v. 10. Deo in gratam hostiam offerrentur. Unde & discriminis hic innuitur inter sacrificia Veteris Testamenti, quæ fuerint Topica, & Novi, p[ro]p[ter]e futura sint Catholica sive universalia. Vide VVeinrichium p. 343. II. *Fides ipsa piorum*, Phil. 2. v. 17. III. *Mortificatio carnis & audiū novæ obedientiae*, Rom. 12. v. 1. IV. *Matyria & persecutions piorum*, Phil. 2. v. 17. 2. Tim. 4. v. 6. V. *preces Sanctorum*, Apoc. 5. v. 4. Apoc. 8. v. 4. Unde Gratiarum actiones dicuntur *hostialandis & victimæ laborum*, Ebr. 13. v. 15. VI. *E[cclesiastica] leemosyna & contributiones fidelium*, Philipp. 4. v. 18. Hebr. 13. v.

17. Locus igitur Propheticus nil juvat Pontificios , cùm sacrificii Missatrici nulla in N. T. fiat mentio. Vide Rung. Disp. XVII.

## IV.

## OBSERVATIONES.

I. Summa fuit Salvatoris nostri Jesu Christi bonitas , qui cùm humani generis nullatenus esset indigus ; tamen non placuit sibi ipst , sed ex merâ gratiâ nostri causâ in mundum hunc venit. v. 3.

II. Ad v. 4. annotat Estius : Loquitur Apostolus de iis , quæ olim scripta fuerant ex divinâ inspiratione , id est , de totâ Scripturâ Veteris Testamenti. Doctrinam quoque intellige , quâ instruimur ad pietatem & salutem eternam. Quæ doctrina divinis Scripturis propria est. Hoc est insigne testimonium de sufficientiâ Sacræ Scripturæ ad salutem.

III. Scriptura facit 1. ad doctrinam , i.e. scientiam verè Theologicam , tam quoad Credenda ; quam quoad Facienda. 2. Ad patientiam in adversis. 3. Ad consolationem. 4. ad spem melioris vita & fortunæ , v. 4.

IV. Jubet Apostolus v. 5. idem sentire secundum Christum Jesum. E. in iis rebus , quæ fundamentum salutis nostræ concernunt , Christiani necessariò consentiunt. Possunt autem dissentire in ceremoniis & circumstantiis fidei , quæ non tollunt unitatem religionis , multò minus fraternitatem Christianam dissipant , aut confringunt.

IV. Christus est minister circumcisionis , v. 8. Respectu prosapiæ. 2. Respectu doctrinæ & miraculorum. 4. Ratione precii persoluti. Videatur VV einrich. p. 327.

VI Spes

VI. Spes aliquando sumitur generaliter pro fide sive fiducia; aliquando verò pro *expectatione futuri boni*, Rom. 8. v. 24. Pro fiduciâ sumitur, quotiescumque ei salus in Sacra Scriptura tribuitur. Sicut etiam sic accipitur hic, v. 12. cùm dicitur: *In eo gentes sperabunt.*

VII. Quoad officium Propheticum, Christus pertinuit ad populum Iudaicum, v.g. quoad *Sacerdotale* autem ad omnes homines, v. 11. 12. Utrique opus habent, glorificare Deum pro misericordiâ. v. 9.

VIII. Summa Christianorum bona sunt gaudium & pax in credendo, & exuberans spes per potentiam Spiritus Sancti. v. 13.

IX. Optima *sacrificia* sunt, quando ministri Ecclesiaz per prædicationem Evangelii Christo Salvatori nostro fistunt multos homines & Auditores suos in oblationem acceptabilem; v. 16.

X. Genuinum & solidum gaudium demum illud est, quando pii per voluntatem Dei cum gaudio conveniunt, & invicem per benedictionem Evangelii Christi refocillantur:

v. 29. & 32. Sic enim Deus Pacis cum ipsis

erit. v. 33.

• 6(0)6 •

Cc 2

CA-

## CAPUT XVI.

I.

## Summa &amp; Dispositio.

**H**oc ultimum caput hujus Epistolæ juxta Mylium επιλογή<sup>νικός</sup> est & totum miscellaneorum familiarium tractatione completur. Juxta Balduinum autem est quasi postscriptum hujus Epistolæ. Concluserat enim Epistolam capite præcedenti, quasi ultimo quodam voto : Jam autem salutationes & exhortationes aliquas finaliter annexit. Dividi autem potest majoris perspicuitatis causâ, cum Rungio, disp. 18. & VVeinrichio, postremum hoc caput in Quinque partes. In prima commendat Phæben, ministram Ecclesiæ Cenchreensis. In Secunda, multos nominatim salutat. In Tertia continetur commonefactio de cavendis hæreticis, & auctoribus scandalorum. In Quarta à variis personis salutem nunciat. In Quinta continetur totius Epistolæ conclusio, & θεξαλεγία.

II.

## TEXTUS EXPOSITIO.

In primâ itaque parte commendat Phæben. v. 1. & 2. quæ fuit ministra Ecclesiæ Cenchreensis. Erant autem Cenchreæ portus & statio navalis Corinthiorum, instar oppidi, ad finum Saronicum : ibidem hæc Phæbe, per quam Apostolus transmisit hanc ipsam Epistolam ; & quæ secundum Rungi-

um

um fortè aliorum negotiorum gratiâ Romam profecta , mi-  
nistra Ecclesiæ , sive Diaconissa fuit , non quidem tractando  
ministerium Ecclesiasticum , sed aliis honestis officiis mini-  
strando sanctis , ac potissimum ministris Ecclesiæ benefaci-  
endo . Commendat itaque eam i. à religione , quia sit soror , &  
fidei socia . II. ab officio , quia sit Ecclesiæ ministra . III. à Fi-  
delitate , quia fideliter servierit , & multis , ipsique etiam  
Paulo adfuerit . In Græco habet προστάτις αστυρίχ , adiu-  
trix . Quod quidam de hospitio interpretantur : Verū significatio vocabuli generalis est . Ac petit Apostolus , ut i.  
eam suscipiant in Domino , i.e. propter Dominum , cui inservie-  
rit hactenus . 2. Ut eam habeant pro fæminâ sanctâ ; non  
Ethnicâ . Unde additur : Dignè sanctis , i.e. ita ut decet susci-  
pi sanctos , h.e. fideles fratres ac sorores . 3. Ut eam adiuvent ,  
in quounque eorum eguerit negotio . Addit præterea Esti-  
us : Sororem vocat , non quò significet uxorem suam aliquando fu-  
isse , quam nunc habeat sororis loco sed sororem religione , i.e. Chri-  
stianam .

In I. Parte sequuntur salutationes . Et quidem salvere  
jubet i. Priscam & Aquilam , v.3. quorum fit mentio Act. 18.  
2. & 26. 2. Tim. 4. v. 19. Fuerunt autem conjuges pii , ambo  
Judæi , quamvis Aquila esset Ponticus genere , ac exerce-  
runt artem scenofactoriam . Autigitur hæc Epistola scripta  
fuit ante edictum Claudii , qui omnes Judæos Româ expulit  
anno nono sùi imperii : Aut scripta est post mortem Claudii ;  
redeundi Romiam potestate jam factâ Judæis . Quod est pro-  
babilissimum . Quod autem Prisca hic prior viro nominatur ,  
hoc factum esse dicit Lyra : quia priùs crediderit , & ordo  
gratia præponendus sit ordini Natura . Et ante Lyranum glo-  
sa interlinearis , ad Act. 18. v. 2. annotavit : Fides mutavit ordinem .

nem. Unde non est masculus vel fœmina. Sed quia 1. Cor. 16.  
v.19. Aquila tanquam maritus priori loco ponitur : ideo di-  
cendum est ; A postolum hic Priscam sive Priscillam priori  
loco nominasse vel 1. ex libertate. vel 2. propter majorem  
notitiam & magis nominatum nomen inter fideles. vel 3. pro-  
pter insigne studium promovendi Evangelii , quod indicat  
**Chrysost.** homil. 10. in 2. ad Timotheum. De his conjugi-  
bus autem in v. 4. insigne beneficium commemorat , quod  
cervicem posuerint pro animâ Pauli. & ita gratias inierint ab  
omnibus Ecclesiis gentium. Quod aut intelligendum est de il-  
lo tumultu unanimi Judæorum , quum contra Paulum sub  
Gallione Proconsule Corinthi insurgerent, Act. 18. vers. 12. &  
seqq. unde & v. 18. abeuntem comitati sunt : Aut de tumultu  
Ephesino , Act. 19. v. 23. & seqq. Quamvis enim in specie non  
significet , quale istud beneficium , & ubi præstatum fuerit ; in  
genere tamen apparet , id tale fuisse , ut per istud præsentissi-  
mo vitæ periculo liberatus , & Ecclesiis redditus fuerit. Quod  
verò eosdem etiam vocat συνεργούς , cooperarios suos , hoc qui-  
dam , Oecumenio teste , acceperunt de communi opificio :  
sed rectius accipitur de communi studio provehendi doctri-  
nam Evangelii , sicut accipitur , Philip. 4. v. 3. Coloss. 4. v. 11. U-  
bi tales cooperarii dicuntur ad regnum Dei. Deinde salvere  
jubet II. Ecclesiam , quæ in illorum domo sit. Et quidem priva-  
tam familiam Ecclesiam vocat , sicut etiam facit ad Philem.  
v.2. Coloss. 4. v. 15. Ut ita per vocem Ecclesiæ hic intelligatur  
Ecclesia domestica. III. Epanetum , v. 5. quem vocat dile-  
ctum suum & primitias Achaiæ in Christo. Vulgatus legit Asia ;  
In cuius defensionem scribit Estius : Suspicio est , in Græcis co-  
dicibus accidisse mutationem ex altero loco , qui est 1. Cor. 16. ubi  
quidam Achaiæ primitiæ vocantur. Sed respondemus : Suspicio  
est

est; Vulgatum errasse; non autem in Græcis Codicibus mutationem accidisse. Vocatur autem *primitiæ*; quia primus in Achaiâ Christi seßator fuit, & aliis credendi exemplum præbuit. IV. Salvere jubet *Mariam*, v. 6. De qua non constat, quæ fuerit: Commendatur tamen ab officiis Christianæ pietatis, & hospitalitatis. V. *Andronicum & Junian*, v. 7. quos vocat *cognatos suos*, quia erant ejusdem & forsitan propinquoris generis, eosque ita commendat 1. à cognatione. 2. à communī calamitate, quia aliquando fuerint concaptivi Pauli; Ubi tamē de loco & tempore, aliisque circumstantiis non constat. 3. Ab eminentiâ; dum eos vocat *insignes inter Apostolos*. Ubi *Apostoli* vox latè accipitur, pro viris, verbum Dei annunciantibus, & bene de Ecclesiâ meritis. 4. à tempore conversionis; quod quoad eam Paulo fuerint priores. In Christo enim esse, ut rectè Estius scribit, est Christianum esse. Theophylactus per *Juniam*, fœminam intelligit, sed est nomen viri, ut ex contextu patet. VI. *Ampliam, dilectum in Domino*, v. 8. Nempe in Christo, ut Christianam declareret dilectionem. VII. *Urbanum*, quem etiam adiutorem in propagandâ fide Christianâ vocat. IX. *Stachyn*, quem vocat dilectum suum, & qui ab Apostolo Andreâ primus Episcopus Constantinopolitanus constitutus fuit, ut est apud Nicephorum lib. 2. cap. 29. et in Martyrologi Romano prid. Cal. Novembr. v. 9. X. *Apellam*, quem vocat δοκιμων, probatum & sincerum; inter alia haud dubie propterea, ut Balduinus censet, quia in multis tribulationibus & periculis fidem suam in Christo probatam fecit. XI. *Familiam Aristobuli*. Ubi Balduinus ipsum Aristobulum nondum credidisse, cum Hunno suspicatur. Et est quorundam Latinorum sententia. Sed ut rectè disputat Estius: Ex Græco texiu, eiusque idiotismo hoc non

non videtur consequens : Potest ergo ipse cum suâ familiâ intelligi , præsertim cum , teste Cambdeno Britanniæ suæ pag . 40. Britannis Evangelium prædicaverit . Videatur Estius . v.10. XII. Herodion , quem vocat cognatum , id est gentilem , vel sanguine conjunctiorem . XIII. Familiam Narcissi v.11. & quidem credentes , reliquis exclusis . Hunc quidam putant fuisse potentissimum istum libertum Claudii , de quo Svetonius , Tacitus & Dio testentur . Sed hæc opinio exploditur à Baronio , ad annum LVIII . XIV. Tryphonam . XV. Thryphosam . Mulieres nobiles Iconienses , juxta acta Theclæ . XVI. Persadem ; quas pias mulieres ab officiis piis commendat , v.12 . XVII. Rufum ; quem vocat ab insigne pietate , & vel communi loquendi genere , vel certitudine Propheticâ , electum in Domino . XVIII. Matrem ejus , quam propter maternum affectum , & singularia beneficia , etiam suam matrem vocat . v.13 . Quibus subjungit v.14 & 15. alios adhuc decem , uti in textu videri potest . Ut enim annotat Theophylactus ex Chrysostomo , Plures hic salutat Apostolus , quam in illâ Epistolâ aliâ , quoniam Romanos nondum ipse viderat . Et quidem Hermes , v.14 . non est Mercurius , uti Erasmus reddidit , sed nomen proprium Latinum , uti bene annotavit Estius . Concluditur hæc pars præcepto generali , v.16 . Salutare vos invicem cum osculo sancto ; id est : Complectimini vos invicem corde sincero & mutua dilectione ardente , cuius osculum est Symbolum quoddam . Et dicitur Osculum sanctorum , ad differentiam dolosi , & fallacis . Ac tandem in genere ab Ecclesiis nunciat salutem .

III. In Tertia Parte admonet de fugiendis hereticis , & scandalosis hominibus , v.17.18.19.20. Ab hisce enim , qui dissidia & offendicula contra sanam doctrinam gignunt ,  
jubet

jubet declinare, ἔνταξις, quod est, cum odio quodam a-versari, v. 17. & eos observare, vigilanter & cum consideratione ac inquisitione. RATIONES sunt i. quia tales non serviunt CHRISTO, sed ventri suo, cui sunt dediti. 2. Mite seducunt corda simplicium per blandiloquen-tiam & assentationem. 3. Quia ipsorum obedientia erga Evangelium, & fides sincera ubique sit celebris. Per OBEDIENTIAM enim non simpliciter intelligimus cum Balduino facilitatem ad credendum, sed cum Rungio, Hunnio, Estio, & aliis, Obedientiam, quā promtissimè acceperunt Evangelium CHRISTI, sibi annunciatum, ut accipitur v. seq. 26. 4. Requitit hoc Christiana sapientia securitatem excludens, v. 19. 5. Deus in hoc vobis adjutor erit, v. 20. 6. Et hoc vobis ex animo precor, Ibidem. Hinc scribit Estius in h. l, *Gratiæ nomine favorem & benevolentiam intelligit.*

II. In QVARTA PARTE, salus nunciatur Romanis à personis quibusdam cum Paulo existenti-bus. Qui erat I. *Timotheus*, cooperarius Pauli. II. *Lu-cius*, quem cundum cuī Lucā Evangelistā esse, sen-tit Origenes. III. *Jason*. IV. *Sosipater*; cognaci Pauli. V. *TERTIUS*, Apostoli Amanuensis. VI. *Cajus*, Pauli & Ecclesiæ hospes, id est, Christianorum passim adven-tantium. VII. *Eraustus*, questor ærarius. IIIX. *Quartus*, frater, qui tandem Episcopus scribitur Beryti factus, ubi ex tenerimo affectu repetitur denuò votum, v. 24.

V. In QVINTA PARTE continetur Conclusio Epistolæ, & δοξολογία ad DEUM directa. Quam Esti-us putat, post conclusam alienā manu Epistolam, Pau-lum suā manu addidisse, sui erga ipsos affectūs testifi-candi causā. Et quidem in eā I. describit DEUM,

Dd

quod

quòd sit 1. potens confirmare Romanos in suscep̄tā fide. 2. eternus. 3. Sapiens, & quidem solus, habito respectu ad originalem & essentialē sapientiam. II. Describit quoque Evangelium 1. ab Objecto, quod est CERSTUS JESUS. Vocatur enim praconium JESU CHRISTI. 2. A formā, ut loquitur Weinrichius, quod sit mysterium. 3. A causā instrumentalī, quod innotuerit per scripta Prophetica. 4. A causā efficiente, quiclibet DEUS eternus. 5. à Materiā seu subjecto; quod sit omnibus gentibus & hominibus annunciatum. 6. A causā finali, quæ est obedientia fidei, ut Evangelio obediānt, & in CHRISTUM credant. Non autem est sensus, v. 27. Deum esse sapientem per JESUM CHRISTUM, aut Patrem esse sapientem per filium; sed hæc pars hypostigmate sejungenda est à præcedente, & pertinet ad verba sequentia, ut sit sensus: Per CHRISTUM sit gloria in secula! Videatur Estius. Versiculus ultimus, sive 28. non est pars scripturæ sacræ. Unde etiam nec à Mylio, nec Hunnio, nec Rungio, nec Weinrichio, nec Balduino explicatur: Sed est subnotatio, à Græco quoddam auctore postea addita, ipsi deinceps Epistolæ, ut testimonium quoddam historicum perpetuō subjuncta.

## III.

## QVÆSTIONES.

## I.

An Petrus Romæ fuerit summus Episcopus?

Movet

Movet circa hoc caput, dubium aliquod insigne, quod alias nos Pontificiis reste opponimus, ipse met Estius, scribens: *Quare potest hoc loco: cur Paulus in salutandis fratribus, qui Romæ erant, tam officiosus, non etiam Petrum Collegam & ceapostolum suum salutet, utique vel primo loco salutandum, si Petrus jam tum Roma cathedram posuerat, uti tradunt. Catholici scriptores.* Hoc enim pergit, inter alia argumentum est eorum, qui Petrum negant Episcopum Romanum fuisse. Hæc ita, quoad hoc dubium Estius. Qui etiam confitetur: *Si Petrus eo tempore Romæ fuisset; non intermissurum fuisse, quin ortum dissidium de iustitiâ Legis & operum componeret inter fideles Judæos & gentiles: Paulus uem non sumisset operam scribendi ad Romanos.* Respondet ergo: *Petri salutationem à Paulo omissam, non quia Petrus non fuerit Romanus Episcopus; sed quia tunc Romæ non fuerit, quando scriberetur hæc Epistola. Pulsus enim Româ Petrus, inquit, edicto Claudi Caesaris una cum ceteris Judæis, necdum illuc redierat, occupatus videlicet in propagando longius ac latius Evangelio.* Videnda quoque sunt, quæ de hoc DUBIO habet Baronius, in annalibus, ad annum 58. CHRISTI. Sed respondemus: 1. amplectimur illud, Petrum Romæ tunc non fuisse, id quod, vi veritatis adactus, Estius confiteri cogitur. Est enim hoc, ab omissione salutationis & scriptione Pauli petitum, efficacissimum argumentum. 2. Quod autem verè Episcopus Romanus fuerit, & tum à Roma longius abfuerit, hoc Pontificiis est probandum. Habent enim hic Affirmativam, & suam assertionem probare tenentur; quod nunquam poterunt præstare.

Dd 2

QVÆ-

## QVAESTIO II.

## Quis fuerit ille Hermas?

V. 15.

**O**rigenes putat, hunc esse Auctorem libri, qui *Pater* inscribitur, comment. in h. l. Quam opinionem etiam referunt, nihil ipsi affirmantes, Euseb. lib. 3. hist. Eccl. cap. 3. & Hieron. in catalogo. Ruffinus in expositione symboli. Alii istum librum adscribunt Hermeti, qui post Patrobam nominatur. Et de alio quodam Hermete traditur, quod fuerit frater Pontificis Pii primi. De qua re videnda est Patrologia B. Gerhardi, pag. 1. & seqq. Arbitratut ergo Estius, illum librum nec Hermæ, nec Hermetis esse, sed alias cuiusdam Hermetis, qui fuerit frater Pii I. sedentis circa annum Christi 160. nisi quis cum Baronio, ad annum 159. & Bellarmino de script. Eccles. pag. 53. dicere velit, diversos eos esse scriptores, & diversos quoque libros didisse, quorum posterior intercederit. Quicquid tamen sit; rectissime hic judicat Estius, scribens: Ceterum, quod ad librum attinet; etsi doctrinam revera non inutilem contineat, & ex eo testimonia veteres interdum proferant, adeoque publicè legi quondam solitus sit apud quasdam Græcorum Ecclesiæ; ut testantur Origenes, Eusebius & Hieronymus: inter sacras tamen & canonicas Scripturas non habendum constat, sed potius inter apocryphas. Sic quoque Bellarminus de Scriptor. Eccles. pag. 51. dicit: *Hic liber nunquam fuit in canone sanctorum & divinorum librorum.* Et

Gela-

Gelasius c. Sancta dist. 15. dicit: *Liber, qui appellatur  
Pastoris, apocryphus.*

## QV AESTIO III.

An illa verba, v. 22. etiam sint  
pars Canonicae Scripturæ?

**R**atio est, quoniam videntur addita esse à Pauli amanuense, TERTIO. Unde ex Diodoro Tarsensi Episcopo, refert Sixtus Senensis, lib. 2. Bibl. Sanctæ, hunc Tertium, cum esset parum sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, qua propter multitudinem ac sublimitatem questionum, ceteris Pauli epistolis obscurior est, longè reddidisse obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli, elocationibus interdum confusis, & in absolutis sententiis, ac transpositâ nonnunquam ordinis serie conatus est explicare. Ut igitur huic difficultati obviani íbet Jacobus Faber, absurdè hæc verba interpretatus est de personâ Pauli, dicitque, eum se appellare TERTIUM, id est, tertio loco salutantem. Nam, inquit, primum locum dedit Timotheo, secundum consanguineis suis, Lucio, Jasoni, & Sosipatro; tertium sibi. Sed rectè regerit Estius: *Hac ratione non Tertium se diceret, sed QUINTUM. Et in Graeco scriendum fuisset τετρά, non τριτόν.* TERTIUS ergo est nomen proprium. Dicendum ergo est: TERTIUM, amanuensem, hæc

Dd 3

scri-

scripsisse Paulo dictante, & volente: ut proinde hæc verba non minùs divina sint, quàm cætera. Quod autem Sixtus Senensis attulit, de eo iterum rectè censuit Estius: *Hoc nulli docto Theologo posse verisimile videri. Quis enim credat, Paulum tam sublimis ac divine materiæ dispositionem permisisse notario, nec loquendi, nec scribendi latis perito.* Paulus ergo non solas res; sed etiam omnia verba huic amanuensi suo dictavit.

## QVAESTIO IV. Quo sensu Evangelium dicitur, temporibus æternis tacitum? v. 25.

**E**tiam Pii Veteris Testamenti habuerunt *Evangelium de CHRISTO*, & quidem 1. in promissionibus, Genes. 3. v. 16. & alibi 2. in prædictionibus & vaticiniis Prophetarum, qui de CHRISTI adventu, incarnatione, cruce, passione & aliis aperte sunt vaticinati. 3. In sacrificiis & typis Leviticis. Vocatur ergo, juxta Balduinum, *mysterium absconditum*. I. *ratione cognitionis*, quia non, ut Lex, naturâ nobis notum & cordibus est inscriptum. Sed peculiariter nobis revealatum à Filio DEI, I. Joh. 1. v. 18. II. *Ratione patefactio-*  
*nis*, quia ea clarior est in Novo Testamento, quàm fuit in Veteri, Jerem. 31. v. 34. III. *Ratione prædicationis*, quia in Novo Testamento, omnibus gentibus revelatum

tum fuit, iisque prædicatum, Esai. 2. v. 3. E. absconditum vocatur, juxta Hunnium, *ratione Originis*, quia ex finu Patris allatum: Initium tamen hujus manifestacionis in Paradiſo factum fuit: Quamvis clarissima prædicatione & promulgatio contigerit in Testamento Novo.

## OBSERVATIONES.

### I.

**B**onos commendare, est opus charitatis Christianæ; v. I. sed malos venditare pro bonis, fraudis est, & impicitatis non ferendæ.

II. Saluta libenter: non tantum Catonis dictum; sed etiam divinum & Apostolicum præceptum est: v. 3. & 16. Est enim SALUTATIO nihil aliud, quam benedictio, quâ quis alteri bona corporis ac animi divinitus impetrare potest.

III. Tam varia audientes nomina eorum, quos Paulus salute impertit, cogitemus: Hos omnes nos visuros esse in vitâ æternâ, & gaudemus, quod etiam nomina nostra sint in cœlis scripta. Luc. 10. v. 20.

IV. Ingens Ecclesiarum thesaurus est bonus & fidelis Pastor: Unde pro Pauli conservatione omnes Ecclesiæ gentium gratias Priscæ & Aquilæ agebant. v. 4.

V. Petrus non salutatur. E. Romæ non fuit. Sicuti, quamdiu Paulus Romæ captivus fuit, mentio ejus nulla facta reperitur. Et quia post Petrum, juxta Eusebium lib. 2. c. 25. & lib. 3. c. 2. ultimo Neronis anno crucifixum, Johannes Apostolus, aliquot annis vixit, universalis Episcopus potius fuisset Johannes, quam Petri Successor Linus.

### VI. Vo-

VI. Vocabula ~~magis~~, v. 17. non solum contrarietatem, sed etiam diversitatem significat, ut patet ex locutione parallelâ, I. Cor. 3. v. 11. Deut. 4. v. 5.

VII. Frustranca est observatio Estii ad v. 17. urgentis: *Paulum dicere; non præter Scripturam, sed præter doctrinam:* ut locus hic imprimis faciat pro traditionibus non scriptis. Sed Paulus, Act. 26. v. 22. cap. 28. v. 23. testatur; *se nihil aliud dixisse, quam ea, quæ Prophetæ predixerint & Moses.* Doctrina igitur ejus cædem fuit cum doctrinâ Scripturæ.

VIII. Sicut serpens blandiloquus decepit Evam, Genes. 3. v. 2. Cor. 11. v. 3. Sic PseudoProphetæ per blandiloquentiam & assentationem decipiunt corda simplicium, v. 18.

IX. Deus pacis conteret Satanam sub pedes nostros brevi, v. 20. major est, qui nos defendit, quam qui tentat. Et homo pius, quantumvis fide infirma sit prædictus, tamen gloriosus est Satanæ victor.

X. Precatur Paulus saepius Romanis gratiam Domini nostri Iesu Christi. Hæc igitur sumnum credentium est bonum: Quam etiam Auditoribus nostris singulis precamur; gratias agentes Deo, pro vita & Spiritus S. gratiâ: Et ita in nomine SS. TRINITATIS auram hanc Epistolam concludimus  
& finimus.

SOLI IDEO GLORIA!

SLUB  
Sächsische Landesbibliothek –  
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden